



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Quanta in animo passa sit Lydvvina?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

februm, quàm vitiorum. Cuius ignis, quia memor fuerat Lydvina, de ijs flammis, quæ à tali, atque etiam postea aeterno incendio præservant, non conquerebatur. 14. Domus eius erat humilis, cubiculum sepulchro similis, quàm conclavi, in quo ultra triginta annos terram non attingit pedibus suis, sed jacuit immota & supina in lectulo, nec solis, nec lucis, quàm diu jacuit, aspectu perfruita est; sed instar Iob in sterquilinio permansit. Et fertur cum patientissimo Iob, & B. Francisco sæpe dixisse: Hoc mihi, Domine, acceptissimum erit, ut affligens me dolore non parcas: cùm tua voluntatis impletio, sit mihi summa consolatio. 15. Vt autem illustrior corona ei pararetur, ad extremum intra cranium quasi malleolis dirè torqueri se sensit, quibus etiam alij molestissimi cruciatus accedebant, ita ut sub mortem nihil videretur aliud, quàm pelvis contracta ad ignem, nervis eius instar chordarum citharæ extensis, & ossibus tamquam in patella fixis. Calculus, quem prædixerat instar columbini oui magnitudine fore, & sibi mortem allaturum, duobus mensibus adeo infestus ei fuit, ut intra horam unam ter loquendi usum amitteret, corpusq; miserè contrahens obrigesceret, & dentium particulas, qua dolore stridens rejiceret, & panè exanimis jacens, adstantes cogeret acerbè eiulari. Quos ei dolores extremo vita tempore attulerint apostema virgineorum uberum, immanissimi dentium & oculorum cruciatus, aliæq; agritudines, etiam si velim pro dignitate explicare, nunquam possum. Quid multis vtor? Vt nullum non corporis malum pateretur, etiam Epilepsiam, sub finem annorum vita sua, ter una nocte pertulit. Apoplexia quoque tacta est; atque ut non corpore tantùm, sed etiam mente laboraret, amentia quamquam non plùs dimidiâ horâ laboravit; ut mentis per reliquum tempus compos intelligeret se pati, & patientiæ fructu non priuaretur.

X.

P. 1. c. 2.

16. Ad hæc corporis tormenta accessere haud parvi dolores animi. Nam imprimis cùm costa eius fracta esset, casus ille subitanè magna omnibus admirationi fuit, & alij quidem atq; alij aliter, & aliter de virgine loquebantur. Deinde cœpit ab omnibus pro monstrosa haberi, a sedalibus puellis despici, à quibus antea amabatur. Quanti autem doloris causa sit, vel hæc mutatio, vel illa suspicio, & sermones sinistri de virgine innocente; nōrunt, qui similia, vel à desertoribus, vel ab injustis detractoribus patiuntur.

His

His accessit pro virtute poena. Nam à matre sua alapam accepit, quòd fugientem in cubiculum illius virum hosti illius, quærenti, an ibi esset, respondisset, se putare ibi esse. Acceptâ alapâ, dixit: *Credebam ego, mea mater, posse veritatem conseruare virum, qui ad me confugerat.* Et planè conseruauit; quia nec visus, nec inuentus est ibi. Vbi postea fama illius creuit, confluxère plurimi ad visitandam eam, nec pauci curiositate & malevolentia ducti. Sciscitabantur ergo proterui & scioli, vnde in ea febris materia esset, quæ nihil sumeret alimenti? *Et, cum viderent eam in obscuro turguriolo decumbentem, procacissimè garriebant, eam voracem esse, meribulam, demoniacam, & id genus alia.* Quam etiam dæmon ipse infestauit, qui aliquando patrem illius in aquas præcipitans, illam omni solatio voluit priuare; aliquando per fratris negligentiam, candela prope lectum eius in paleas decidente, & flammis vndique cinctam, voluit decumbentem & fugere non valentem comburere: sed illa aurum in igne probatum, nihil caloris sentiente manu incendium repressit. Atque vt Iobo etiam in hoc similis esset, *fratris eius vxor, mulier procax, importunis clamoribus valde vexabat eam.* Quam, mutato habitu, inuisens Bavarix Dux Ioannes dixit: *Et quo pacto potes apud te ferre eiusmodi hirundinem, quæ totam hanc perturbât domum?* Cui illa: *Equo animo, mi Domine, id genus hominum toleranda sunt infirmitates & imperfectiones: tum vt nostrâ patientiâ corrigantur, tum vt virtutis exercitium præbeant ijs, quos eo Dominus indigere nonit; tum ne maioris furoris & perturbationis eis materia exhibeatur.* Alia mulier venit quandoq; ad Lydvinam fremens & furens, innumeris eam iniurijs, contumelijs, & conuicijs proscindens, vt posset eius commouere animum. Sed cum hac ratione nihil efficeret, in faciem mitissima virginis fædisimè expuit. At verò, ne sic quidquam eam permoueri sentiens, clamoribus & maledictis, tamquam vim passa, vicinos concitare cepit. Sed S. Virgo in patientia animam possidens, ad eò mansit immota, vt mirarentur vniuersi. Immò, vt maleficium beneficio compensaret, clam ei munusculum transmisit, tamquam quæ sibi patientiæ occasionem præbuisset. *Accedebant etiam interdum ad eam quadam meribula, dicebantq;: Non possumus persuadere nobis, te absq; cibo vitam ducere. Itaq; suspicamur te, hypocrisi eludere*

homines. Quas illa non solum sustinuit æqua mente, sed etiam omnipotentia Dei docuit non obliuisci, per quam non in solo pane uiuit homo. Quanta autem sit injuria, hypocrisis argui, nōrunt, qui sciunt, in diuinis litteris, idem esse, *partem sum hypocrisis* habere, & damnari. Quin & hypocritæ (sicut ad Christum) accesserunt, ut eam in verbis caperent, cum ipsi essent ventris mancipia, & inter eos vna, quæ virginitatem jactabat, cum se dæmoni prostituisset. Hi moribus Æthiope quouis atiores, suos innocentissimæ mores attribuerunt; & cum ægram, totque malis affectam consolari debuissent, de gula, de hypocrisi, deque illis ipsis vitijs, quibus inquinatissimam vitam duxerunt, conati sunt infamare. Sed longè grauius eam afflixit Parochus primò, cum ei hostiam daret non consecratam, probaturus, an panem pati posset, quæ se dicebat, nihil comedere; altera vice, cum non solum priuatim, sed etiam publicè & pro concione diceret, eam à dæmone esse delusam in alia hostia non consecrata ei relicta, quæ tamen vera fuerat. Nam in eam se ipse Christus, ei pueruli in cruce pendentis forma apparens, vertit. Pro Parocho tamen patiens Virgo ipsa & apud plebem in eum concitata, & Episcopum orauit. Milites autem eam non solum conuicijs, sed etiam impuris manibus inuadentes, & plurimis iniurijs pessimè tractantes, Deus grauissimè puniuit, quibus ipsa percipit, ne apud suum Dominum Philippum Ducem Burgundiæ accusarentur, & punirentur. Nimirum hic apex est perfectionis, benefacere his, à quibus maleficium acceperis, & diligere inimicos; cum nihil difficilius sit, quàm compescere vindictæ motus, & illatas sibi iniurias non modò ferre patienter, sed etiam beneficijs compensare.

XI.  
P. 1. cap. 6.

17. Hæc in corpore atque animo passa Lydvina, ut plura ferret, audite incredibilem & charitatem, & sitim patiendi. Petronilla senilis mater moribunda sic ei valedixit: *En morior pauperula, quæ nihil boni fecerim cunctis diebus vita mea. Sed si, filia mea, pro delictis meis velis intercedere, lata moriar.* Cui respondit illa: *Forti animo esto, mater mea. Propè est Dominus, qui non despiciet contritum & humiliatum cor tuum. Mea verò omnia, labores, dolores, ulcera, plagas, tormenta, vigiliæ, precatiunculas, & exercitia*